

Facultates quæ a Sancta Sede conceduntur, continentur in certis pagellis quæ vocantur *Formulæ*, seu *catalogi facultatum*; cum potestates delegatæ *modo generali, vel modo speciali* committantur, unde habentur *Formulæ ordinariæ* et *Formulæ extraordinariæ*.

Ordinariæ facultates in decem schematibus ex antiquo fere fixis continentur, et ante verba : "Facultates concessæ a Sanctissimo Domino Nostro Papa N." legitur : F. I, id est, Formulæ prima, vel F. II, i. e. Formula secunda, et ita porro usque ad F. X.

Episcopis Dominionis Canadensis conceduntur facultates ordinariæ F. I.

Facultates extraordinariæ continentur in quibusdam formulis quæ denominantur litteris majusculis alphabeti A. B. C.

Episcopis hujus regionis conferuntur facultates extraordinariæ sub formula T.

Plures sunt aliæ facultates extraordinariæ quæ legendæ sunt apud curias episcopales diocesium.

29. **Facultates formulæ I.**

1. Conferendi ordines extra tempora et non servatis interstitiis usque ad presbyteratum inclusive, si sacerdotum necessitas ibi fuerit.

2. Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus casibus si præcisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen, quoad homicidium voluntarium, ex hujusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

3. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

4. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia